



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119207**

§. 11. Jacobus Philippus Ninius Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Purpura decoratus, Urbivetanam Ec-  
clesiam Episcopus rexit, ab omnibus Sæc. XVII. A. C. 1680.  
ob animi candorem, morum suavita-  
tem, & eruditionis profunditatem ma-  
ximi habitus: Egerat etiam summa  
cum laude Ferrariensem Sedis Aposto-  
licæ Legatum, ubi tamen anno ætatis  
sux quinquagesimo quarto die tertia  
Novembris plenus meritis decessit.

§. XI.

*Jacobus Philippus Ninius Cardina-  
lis mortuus.*

Pari fato sublatus est Jacobus Philip-  
pus Ninius Senensis Patritius, qui Ciacon. in vita Alexand. VII. tom. 4. Palat. fast. Card.  
ob ingenuam indolem, & acre inge-  
nium a Fabio Chisio seligebatur, ut eo  
ad mores ingeniumque suum efformato  
postea in gravioribus negotiis uti pos-  
set: cum ergo Ninius conceptam de  
se spem haud falleret, ab eodem Car-  
dinale ad Pontificatum assumpto ad  
nobiliora Palatii munera nominabatur,  
quibus summa Alexandri VII. totius-  
que Aulæ satisfactione defunctus, li-  
bellorum supplicum Magister & Palatii  
Præfectus, ac tandem Cardinalis re-  
nuntiatus est: Diversis etiam Patrum  
cætibus adscriptus, in maxime arduis  
non modo Urbis & ditionis Ecclesia-  
sticæ, sed etiam totius rei Christianæ  
caus-

Sæc. XVII. caussis suum consilium & operam fe-  
 A.C. 1680. dulo impendit: nullatenus tamen in-  
 duci potuit, ut Innocentii XI. Consti-  
 tutioni, qua Nepotismum abrogabat,  
 subscriberet, quocirca illum Cardina-  
 lis Cibo in publico Patrum confessu his  
 verbis redarguit: *forte sua Eminentia  
 Papatum sperat.*

## §. XII.

*Levis collisio Innocentii XI. Papæ cum  
 Principum Oratoribus.*

Fervebat adhuc leve dissidium circa  
 nuper abolitam Palatiorum immu-  
 nitatem; nonnulli enim exterorum  
 Principum Oratores haud obscure in-  
 sinuabant, sibi in mandatis datum, ut  
 non modo in suis Palatiis, sed etiam  
 in districtu, quem circa ea hucusque  
 describere consuevissent, jurisdic-  
 tionem armata manu tuerentur: Sub  
 idem tempus quidam etiam Jesuita con-  
 tra Papam librum sub hoc titulo: *Ra-  
 na Imperii* edidit: Illius Authorem  
 Pontifex suo judicio fisci petiit, quo-  
 niam vero natione Gallus esset, & Fran-  
 ciæ Oratoris patrocinio frueretur, Pa-  
 pius Oliva supremus Societatis Præposi-  
 tus hunc Pontificio Tribunali tradere  
 recusabat. Præterea Principum Ora-  
 tores, aliique, quos Purpuræ spes in-  
 cita-